



Universitätsbibliothek Paderborn

Agenda, Sev Ritvale Osnabrvgense

Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>

Coloniæ Agrippinæ

De secundis nuptiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41233

videatis filios filiorum vestrorum, usque ad tertiam & quartam generationem; postea vitam æternam habeatis sine fine: adjuvante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

Et statim aspergit eos aquâ benedictâ.

Per actis omnibus, Parochus manu sua describat, in libro Matrimoniorum, nomina conjugum & testium, & alia, juxta formulam prescriptam: idque, licet aliis Sacerdos, vel à se vel ab Ordinario delegatus, Matrimonium celebraverit.

De secundis nuptiis.

Nuptiæ secundæ ratione triplici existunt; primo, ex parte utriusque, Sponsi scilicet & Sponsæ; secundo, ex parte Sponsæ tantum, si ea sit vidua; tertio, ex parte Sponsi solum, non autem Sponsæ.

Quæ ergo sunt nuptiæ secundæ postremi ordinis, hoc est ratione viri solum, eæ, quia femina non fuit benedicta, ad modum jam præscriptum benedicendæ sunt. Similiter, si casu aliquo in secundo genere sit vidua, quæ semel nupsit, sed, ante benedictiones receptas vidua facta, iterum nubit, benedicenda est.

Alias ordinarie bigamorum nuptiæ, tam ratione sponsi & sponsæ simul, quam sponsæ solum, ut supra notatum, benedicendæ non sunt, sed ordo subjectus servetur.

Forma celebrandi secundas nuptias.

I. **Q**uando Sacrum finitum est, ad altare veniant, ibique ad geniculentur; & statim Parochus, si opus sit, aut antea non sint exhibita, literas petat dimissoriales; eas legat & examinet.

II. Si Sponsalibus non interfuit, querat uti supra; an, ut contrahant inter se matrimonium, adsint; an libera voluntate, à nullo

Tt coacti

coacti, id ipsum faciant; an à voto, quod matrimonio obstat, & promissione alteri facta, liberi sint.

Pag. 324.

III. *Annulum petat, eumque Sponsum Sponsæ digito annulari imponere jubeat; & dicat ut supra.*

IV. *Brevem de Matrimonio admonitionem ad Sponsum & Sponsam faciat; & præsentes, ut pro felici conjugii successu Deum precentur, pie hortetur.*

V. *Conjungat in matrimonium, ad modum, in primis nuptiis positum.*

Pag. 241.

VI. *Euangelio S. Ioannis finito, non benedicat; sed, loco benedictionum, Psalmum pro qualitate personarum superius in modo introducendi positum, Levavi oculos meos, cum Orationibus sequentibus, super genuflexis conjugibus recitet.*

Oratio.

R Espice, Domine, super hanc coniunctionem tuam; ut, sicut sanctum Angelum tuum Raphaelem misisti Tobiæ & Saræ Raguelis, ita mittere digneris auxilium tuum super hos conjuges, ut in tua voluntate permaneant, & in amore tuo vivant, & senescant, & multiplicentur in longitudine dierum. Per Dominum nostrum.

Oremus.

P Rætende, quæsumus Domine, fidelibus tuis dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant, consequantur. Per Dominum nostrum.

Gratia Domini nostri Iesu Christi, & cha-

ritas

ritas **P**atris, & communicatio sancti Spiritus, sit semper vobiscum.

Ad extremum poterit haberi brevis admonitio; quae dicta, aspergat Parochus conjuges, & populum in pace dimittat.

Benedictio impeditorum conjugum.

FIt interdum (Deo hominum vindicante sive infidelitatem sive libidinem,) ut vir & mulier, maleficio impediti, à matrimonii usu impedianter. Ad quam depellendam noxam, conjuges, primum omnium, diligentia conscientia examine & confessione sacramentali præmissa, adibunt Sacerdotem; qui, lecta Missa de Spiritu sancto aut Deipara Virgine Maria, sequentes subjiciet Orationes:

Vers. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.
Vers. Salvum fac servum tuum & ancillam tuam. *Resp.* Deus meus sperantes in te. *Vers.* Mitte eis Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eos. *Vers.* Nihil proficiat inimicus in eis. *Resp.* Et filius iniquitatis non apponat nocere eis. *Vers.* Esto eis Domine turris fortitudinis. *Resp.* A facie inimici. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

T t 2 Oremus.